POLVS ARCTICVS,
AC TERRARVM CIRCVMiacentium descriptio.

GENERALI descriptione (candide Lector) totius orbis terræ & quatuor partium eius iuxta naturæ ordinem methodice repetita & præmissa, statui ad imitationem Ptolemæi Cosmographorum principis ab ipso polo & regionibus sub ipso circumiacentibus, singularum deinceps particularum Geographia inchoare: vt nimirum ab alto inferiora descendens & à sinistris ad dexteriora progrediens septentrionem cum austro & occidentem cum oriente paulatim coniungam: Quod vt mihi reiq; publicæ Christianæ fœlix faustumq; sit, Deum optimum maximum precor & obtestor. De harum autem terrarum & præcipue polo vicinarum regimine & statu nihil certi Europæis adhuc constat: bona tamen spes est, quotidianis Anglorum & Batauorum per boreales tranſitum ad Moluccas certatim quærentium nauigationibus, earum situm & terminos breui certiores detectos fore. Duæ tantum habitationes in extremis quasi septentrionis, in Groenlandia videlicet, nobis notæ sunt, Alba 11: o. 74: 45. & S. Thomæ Cœnobium 16: o. 75: 12. Figuram sumpsimus quæ illi parti orbis maxime congruebat, quæque situm & faciem terrarum, qualis in sphæra esset, redderet. Quod ad descriptionem attinet, eam nos accepimus partim ex Hugonis VVilloughbei equitis, Richardi Chanceleri, Stephani Boroughij, Arturi Pet. & Caroli Iacmans, Iacobi Aldaij, Martini Frobischeri, Iohannis Dauis & aliorum Anglorum nauigatorijs obseruationibus, partim ex itinerario Iacobi Cnoxen Buscoducensis, qui refert (quod tamen ab alio prius accepit) Minoritam quendam Anglum Oxoniensem Mathematicum terras polo circumvicinas descripsisse & astrolabio dimensum esse in hanc sequentem formam fere, vti ex Iacobo collegimus. Euripos illos quatuor dicit tanto impetu ad interiorem voraginem rapi, vt naues semel ingressæ, nullo vento retroagi possint, neque vero vnquam tantum ibi ventum esse vt molæ frumentariæ circumagendæ sufficiat. Simillima his habet Giraldus Cambrensis in lib. de mirabilibus Hiberniæ, sic enim scribit: Non procul ab insulis (Ebridibus, Islandia &c.) ex parte boreali est maris quædam miranda vorago, ad quã à remotis partibus omnes vndique marini fluctus tanquam ex conducto confluunt & concurrunt, qui in secreta naturæ penetralia se ibi transfundentes quasi in abyssum vorantur, si vero nauem hanc forte transire contigerit, tanta rapitur & attrahitur fluctuum violentia, vt eam statim irreuocabiliter vis voracitatis absorbeat.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo